



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Eulalia V. & M. 10. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Deorum restitueret, Hermogenem misit. Hic de loco ac munere MENNAM, sed non perinde de constantiâ dejicit: ut qui resectâ fœdè à pedibus carne in sententiâ tamen perstigit, neque post erutos oculos linguamque vel à viâ virutis excessit, vel clamare animo Christum destitit; quin cum sub noctem medicinam membris omnibus ipse Christus fecisset, & Angeli palam se Martyri junxissent, associare etiam se Hermogenes non dubitavit, pulchrâ metamorphosi ex tyranno Episcopus urbis factus. Tot damnis mactatus Imperator ipse adfuit, Deosque & se ulturus, Hermogeni manus pedesque auferri cremarique, ipsum ventre discesso aquis mergi; MENNAM vero ex arbore, ex MENNAE pede saxum suspendi jussit, nobile anathêma. Sed ecce mortem tunc uterque, sed & postridie Maximinum iterum triumpharunt capite truncati. Ossa quoque tumbara ferrea condita & in mare abjecta nautæ Angeli Byzantium deportarunt, à loci Antistite tumulanda. Ibi molliter nunc quiescunt, qui duriter olim vixerunt. Ex Surio.

Si tantâ curâ agitur, ut aliquanto plus vivatur, quomodo agendum est, ut semper vivatur? Et si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ne perdant paucos dies, quam stulti sunt qui sic vivunt, ut perdant eternum diem? S.Aug. serm. 64. de verb. Dom.

S. EULALIA V. & M. 10. Decembris.

EMerita Lusitaniæ oppidum, oppidi longè maximum decus EYLALIA est virgo, quæ plures palmas quam annos, dum vixit, numeravit. Certè annum cum vix duodecimum ageret, saeviretque in Christianos impietas, vigilem licet paren-

parentum custodiam noctis beneficio fecellit, interque Angelorum comitatum in jus ultrò ambulavit. Ibi sic rea ipsum judicem accusare ausa est, & ejus in pios tyrannidem populo spectante & audiente multis objurgare. Quid? quod, cum hic dictis mellitis suadere insisteret, ut ad Deos transiret, quod dicta illa despueret, in vultum tyranni expuit; Deosque & thus Deorum, cumq; his minas omnes heroo pede calcavit: flagris deinde lacera risit etiam, sanguineque suo picta velut superbè circumspexit se: demum cum facies ardentes ad moverentur, flamas ore patulo excepit, Deoque cum animâ latabunda transmitit. Et verò ecce testes castissimi & animi & corpusculi! Ille, uti ipse carnifex spectavit, argenteas columbae pennas indutus cælo se abdidit. Hoc, ut tumulus manibus responderet, prodigiosæ nives texerunt. Et erubuerunt, puto, hæ, cum candidius aliquid se, virginitatem viderunt. Ex Prud.

Nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quam pietas misericordiae, & puritas castitatis. His nos præsidis specialiter instruamus, ut tamquam duabus aliis elevati de terrenis mereamur esse cælestes. S. Leo serm. 4. de Pass.

S. DANIEL STYLITA. 11. Decembris.

Cælo vicinus incola DANIEL est, qui annos xxix. columnam habitavit, indeque tempestates, & cum his mortalia omnia generoso supercilie despexit, orci ingens terror, Superis gratissimum spectaculum. Nempe terris adeoque se altior, clientes sibi obnoxios reges habuit. Ita Leonem filio beavit, & mortis periculo exemptum Imperatorem sibi vitam debere fecit. At

Cc e Zenoni